


345





UVA. BHSC. IyR_345

UVA. BHSC. IyR_345



Casa Librería del Cto. de la Comp. de Ns. de
San Ignacio de Valladolid.

U.D.L. BHSC. LYR 345

XII. CARDINALIVM INDEX.

- I. FRANCISCVS XIMENIVS,
II. ÆGIDIUS ALBORNOTIVS CARRILLVS, } Archiepiscopi Toletani.
III. BESSARION, Trapezuntius.
IV. GVLIELMVS SIRLETVS, Calaber.
V. IACOBVS SADOLETVS, Mutinensis, Episc. Carpentoract.
VI. GASPAR CONTARENVS, Venetus.
VII. PETRVS BEMBVS, Venetus.
VIII. POMPEIVS COLVMNA, Romanus.
IX. IOAN. FISCHERVS, Roffensis Episc.
X. REGINALDV S POLVS, Archiepisc. Cantuariens.
XI. STANISLAVS HOSIUS, Varmiensis Episcop.
XII. CAROLVS BORROMÆVS, Mediolanens. Archiepisc.

ACCESSIT & Adriani Sexti, Pontificis Maximi, effigies.

QVI de Vita, rebusque gestis illorum copiosius scripserunt, hi sunt:

- FRANC. XIMENII, Aluarus Gometius Toletanus libris VIII.
ÆGIDIU ALBORNOTII, Io. Genesius Sepuluenda Cordub. libris III.
BESSARIONIS, Panegyricus in funere à Platina conscriptus, & Paulus Iouius Episcop. Nucerinus in Elogiis doctorum.
GVL. SIRLETI, funebrem laudationem edidit Io. Vaz Motta, Lusitanus.
IAC. SADOLETI, Antonius Florebello Episc.
De VITA BEMBI & CONTARENI, Io. Casa, Beneuentanus Episc.
POMPEI COLVMNÆ, singulari libro Iouius, & libro VI. Elogiorum militarium.
IOAN. FISCHERI, Elogium Paulus Iouius inter doctos viros dedit;
& Gul. Lilius, ibidem. Nicolaus Sanderus de Schismate Anglicano,
& Laur. Surius, an. 1535.
REGINALDI POLI, And. Duditius Episc.
STANISLAI HOSII, Stanislaus Rescius, Polonus libris III.
CAROLI BORROMÆI, Valerius Augustinus, Card. Veronensis, &
Carolus à Basilica Petri, libris quinque.

Vitam ADRIANI SEXTI, Gerardus Moringus Theolog. Louan. & Paulus Iouius
disertè conscripserunt.

SERENISS. PRINCIPI
ALBERTO

S. R. E. CARDINALI AMPLISS.
ARCHIEPISC. TOLETANO,
ARCHIDVCI AVSTRIÆ,
ET GALLIAE BELGICÆ PRO
REGE CATHOLICO
GVBERNATORI, &c.

Theodorus Gallæus, Philippi F. Antuerp.

L I B . M E R . D . D .



V i litteras cum armis coniungi, SERENISS.
PRINCEPS, in eodemque reperiri aut posse, aut de-
bere negant, næ illi vehementer errare mihi videntur.
Sunt enim, si verum fateri volumus, Toga & Sagum
arcidissimo inter se vinculo colligata, — alterius sic

Altera poscit opem res, & coniurat amicè.

Vt enim sine consilio res militaris administrari, sic absque armis Respubl.
diuturna pace frui non potest: quo tempore & boni præmijs ornari, &
improbi contrà pœnis affici solent. His enim duabus rebus ciuitatem con-
tineri sapientissimus Atheniensium legislator Solon affirmabat. Vdit ve-
rum id esse acutè, vt omnia, Antiquitas: quæ Palladem, scientiarum, vt fa-
bulantur poëtae, Deam armatam in Gymnasiis ponendam finxit simul &
pinxit. Præstantissimos præterea belli Imperatores, si Annalium memo-
riam replices ultimam, duabus potissimum artibus belli, pacisque floruisse
intelligas. In Græcia quidē Alcibiadem, Themistoclem, Periclem, Epaminon-
dam, alios: Romæ vero, eterna in vrbe innumerabiles. Vt enim C. Cæsarem,
& M. Tullium præteream; quorum ille, dux ne melior an orator fuerit,

fortiusne res gesserit, an scripsicerit disertius, incertum reliquit; hic vero
Catilinæ coniurationem per summum scelus ad Urbis, totiusque adeo Ita-
lia interitum initam, armis consilioque sic repressit, ut hinc primus meritò
PATER PATRIÆ sit appellatus: Imperatores fere ad unum omnes
litteras tractarunt, ab Octaviano Aug. (quem & in ipsis castris libros
lecti assere refert Tranquillus) usque ad Iustinianum Aug. qui legum condon-
darum Treboniano Iureconsulto auctor exstitit, sic prefatus: IMPERATORIA
Maiestatem non solum armis decoratam, sed etiam le-
gibus oportet esse armatam: ut utrumque tempus, & bellorum, &
pacis recte possit gubernari. Quæ si vera, ut sunt, nobis videantur,
ecquid mirum nostra quoque tempestate Ecclesiæ Catholice Matris nostræ
robora, atque præsidia, CARDINALES inquam, homines plerumque
& doctissimos iuxta ac fortissimos, aduersus immanem Christiani nominis
hostem Turcarum Imperatorem, & contra seditiosos hereticos, qui ut perfidi
transfugæ à Religione maiorum turpiter in castra dæmonum descuerūt,
arma induere, bello persequi, fortiter dimicare, denique rem gerere feliciter?
Quales fortissimos Praesules licet plurimos adferre queam, tamen duode-
cim dumtaxat in praesens, CARDINALIS amplissime, libens, volens
que offero: quorum viuas effigies Romæ nuper cum essent, religionis, ar-
tisque excolende gratia, delineauit, ac domum reuersus in eis incidi. Vitæ
autem, à disertissimis hominibus, quos secunda libelli huius facie nominaui,
Latinè & eleganter conscriptæ, haud difficulter ab erudito aliquo colligen-
tur. Ego Elogia, Epitaphia, breuemque historiam adscriptissime contentus,
Imagini representandas tantum curauit, at veras, non, ut plerique
nostra memoria sunt ausi, fictas. Afficit enim mirificè animos, oculosque
pascit, atque oblectat, teste C. Plinio, viuas eorum effigies, quorum res domi,
militaque gestas audiendo, legendoue admiramus, quasi coram inspecta-
lo cernere. Quam quidem industriam nostram Tibi uni, maxime PRIN-
CEPS, debere me cognoui, multis nominibus: Primum, quod sacrarum litterarum peritiae maiori quam in Principe desiderari solet, Reipub. admini-
strationem, & litteris arma, adiunxeris. Deinde quod in Cardinalium
Collegio, nobilitate, rebusque gestis preclarè familiam ducas: Denique
quod simulatque Belgium nostrum attigisti, spem omnium, exspectatio-
remque fortitudine animi ac felicitate, Austriacæ gentis propriis virtu-
tibus,

tibus, superaris. Hostium enim maximorum vires conatusque breui tempore infregisti; ut vix citius Pompeius, qui cognomentum, ob res gestas, Magni retulit, piraticum bellum, magnitudine graue, ac multitudine periculosum, confecisse videatur. Animos itaque hostem demittere docuisti, ut illudere posthac, petulanterque insultare desistat. Occupato enim Iccio portu, siue id Geffriacum est, quod vulgo Caletum nominant, intra octauum diem: Ardrea quoque munitissimo in Samarobrinis oppido: Hulstum item in Flandria, molibus superatis, summa vi, contentioneque hostibus extorsisti. Vicit nimirum, ut spero, & opto, Deo auspice, Veritas: quod singulari clementia, facilitate, animique præstantia cœperis

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Quare accipe libens, maxime PRINCEPS, & æqui, boni hæc consule, ut ad maiora, quæ molior, edenda aggrediar. Sic DEVs Opt. Max. conatus Tuos, cogitationesque CHRISTI regnum augendi, prouehat in maius, ad exitumque felicem adducat. Vale.



FRANC. XIMENIVS

CISNERIVS. ORD. MINOR. TOLET. ARCHIEPISC. S. R. E.
 CARD. S. BALBINÆ A IVLIO II. PONT. MAX. CREATVS
 A. D. XVI. KAL. IVN. ANN. 80. ID. VII. HIS PAN. PRIMAS.
 ET PRO CAROLO V. CÆS. GVBERNATOR. AVCTORQ. ACA-
 DEMIAE ET BIBLIOR. COMPLVTENS. OBIT VI. IDVS NO-
 VEMB. 80. ID. XVI. ATATIS FERME LXXX.

XIMENIVS honesto quidem loconatus, sed animo excelsø, pius ta-
 men & eruditus, & eruditorum fautor egregius. Nam multa mona-
 stria vtriusque sexus, & publica valetudinaria; insignem quoque Acade-
 miam Complutensem impensa sua instituit. Sacerdotia, quæ in Toletana
 ditione opima sunt, doctis, & idoneis dabat, & non rogatus facilius quam
 rogatus: imò rogatus vix cuiquam dabat. Sacra Biblia variis linguis, Chal-
 dæ, Hebraæ, Græca, & Latina Compluti summa accuratione, (unde sum-
 ma illis accessit auctoritas) excedenda curauit. Ad mensam ferè cum viris
 doctis, Theologis præsertim, de re Theologica commentabatur: in quibus
 Princeps Hadrianus, qui & ipse Hispaniæ regna vnà administrabat; & ex
 Dertusano Episcopo, absens, Romæ à Cardinalium collegio (quod inusitat-
 um est, & insolens) creatus est Pontifex. Accedit ad alia multa præclara
 Francisci opera, traiecto freto Gaditano urbem Africæ opulentam, multis-
 que domorum millibus insignem (*Oranum vulgo nominant*, Madaurum-
 que L. Appulcij patriam fuisse existimant) Saracenis, duce Petro Nauarro,
 eripuisse: quam postea Ferdinando Regi Catholico, receptis dumtaxat belli
 sumptibus, cessit; teneturque à Regibus, Hispanico præsidio. Fræscianorum
 institutum, quod nondum Præsul suscepierat, in maximis etiam negotiis
 (quibus sublimis iam obsidebatur) diligenter obseruabat.] Hæc Gerardus
 Moringus in Hadriani v. I. P. M. vita. Exstant & libri octo de eius rebus ge-
 stis copiosè ab Aluaro Gometio Toletano, Græcam litterarum Toletido-
 tore Latinè conscripti. Tumulus eius hodieque Compluti visitur, additio
 hoc Ioannis Vergatae, Canonici Toletani, hominis doctissimi, Elogio:

*Condideram Musis FRANCISCVS grande Lyceum,
 Candor in exiguo nunc ego Sarcophago:
 Pretextam iunxi sacco, galeamque galero,
 Frater, dux, Præsul, Cardineusque Pater.
 Quin virtute mea iunctum est diadema cucullo,
 Cum mihi regnanti paruit Hesperia.*



FRANCISCVS SIMENIVS, CARDINALIS HISPANIA.

Cernere te cælo demissum numen ab alto,
Lector, Simenij dum conspicis ora putato:
Edi qui VARIIS curauit BIBLIA LINGVIS;
Quo merito illius volat omnem fama per orbem.

ÆGIDIUS ALBORNOTIVS


CARRILLVS. DOMO CONCHENSIS. ARCHIEPISC. TO-
LETAN. A CLEMENTE VI. A. D. XV. KAL. JANVAR.
ANN. 80. CCC. L. CARDIN. TIT. S. CLEM. CREATVS.
DEVICTIS ITALIÆ TYRANNIS
AVENIONE ROMAM SEDEM PONTIFICIAM
RETULIT FIXITQ.

BONONIÆ COLLEGIVM HISPAN. NATIONI
ANN. 80. CCC. LXIIII. SVA PEC.
CONSTITVIT.

AGRI PICENI PRÆFECTVS LEGES CONDIDIT
QVÆ ET HINC ÆGIDIANÆ DICTÆ.

OBIT 80. CCC. LXVII. ET VRBANI V. P. M.
IVSSV HVMERIS TOTIVS ITALIÆ
ELATO. TOLETIQ. CONDITO
IVSTA PERSOLVTA.

CVIVS de vita, rebusque domi, forisque præclarè gestis
cognoscere qui volet, (velle autem omnes præteriorum
temporum studiosi debent) legat libros tres à Ioan. Genesio
Sepulueda Cordubensi Philosopho & Theologo, disertè con-
scriptos; ut diuturnam sitim explore possit. At si tantum abs
re tua, Lector, otij non suppeditat, vide *Elogia militaria Iulij Ro-
scij Hortini*, nuper in vulgus edita Romæ.



AEGIDIUS ALBORNOTIVS CARILLVS
S.R.E. CARD. ET ARCHIEPISC. TOLETAN.

*ÆGIDI, iniustos Itala ditione tyrannos
Pellis, Pontificemque Urbi, solioque reponis.
Te duce ROMA alias inter caput extulit urbes,
Ut casti maneant in Religione nepotes.*

B

Orbi VENSTAS, iniqui mortis, multe seductio
uabilis, Rep. Venetæ gravis ac pessima SENATOR, ob exi
miam virtutem, maximarum legationum et negotiorum numeribus.

III.

BESSARION TRAPEZVNTIVS

NATIONE GRÆCVS, S. BASILL MONACHVS, ARCHIEP. NICH-
NVS, PATRIARCHA CONSTANTINOP. S. R. E. CARD.

BASILICÆ SS. XII. APOSTOL. AB EUGENIO IV.

ANN. cc. CCCC. XXXIX. XV. KAL. JANVAR. CREATVS.

VIR DOCTISS. IN SYNODO FLORENT. LATINIS FAVIT.

BIBLIOTHECAM OPT. LIBR. MORIENS VENETIS LEGAVIT.

OBIIT ROMÆ, CONDIVS IN SVA BASILICA ANN. cc. CCCC. LXVI.
SIBIQ. VIVENS GRÆCE POSVIT HOC MONVMENTVM.

Elogium Pauli Beaumaini
Tετέπεις Βεσαρίων ζῶν ἀνυποσώματος
Πνεῦμα δὲ φοργεῖται πρὸς θεόν αὐθάδατον. Hoc est,
BESSARION feci hunc tumulum qui conderet ossa:
Venerat unde olim spiritus astra petit.

Maioranus Salentinus sic reddidit:

Viuens adhuc feci hoc sepulcrum corpori
BESSARION, ad Deum remittens spiritum.

Me docta genuit Grecia: at honores dedit
Urbs Roma, quæ mihi perpetuò est patria.

FUIT BESSARION Georgij Gemisti Plethonis Constantinop. discipulus.
Nemo suorum æqualium illo Christiana pietate spectabilior: nemo admirabilior doctrina: nemo denique generosis moribüs ornatiōr. Singularis litterarum, & litteratorum, Græcia præfertim exulantum, patronus, & hospes.
Præter Commentarios de fidei Christianæ articulis quibusdam, contra Marcum Ephefium: multis lucubrationibus in omni doctrinæ genere clarus,
In primis verò Platonem à calumniis Ge. Trapezuntij vindicauit, Aristotelis μετὰ τὰ εὐρηκά, & Xenophontis quædam in Latinum sermonem è Græco conuertit,
Optime de Repub. meritus.

Legatus ex Gallia rediens, morbo correptus, Rauennæ damno publico moritur,
anno ætatis LXXVII. Funebri laudatione à Bap. Platina, quæ exstat, ornatus.

Anno redempti orbis c. 10. CCCC. LXVI.
Quo Hercynia Germaniæ silua æstu flagravit.



BESSARION CARDINALIS NICENVS
PATRIARCHA CONSTANTINOP.
*Non tibi sit laudi sanctum celebrasse Platonem,
Castaque Socratice frena pudicitiae;
Verum quod per te migravit Graecia Romam,
Et didicit Latios Attica Musa sonos.*

B 2

GVLIELMVS SIRLETVS

Natus Stili, opido eius Italæ partis quam olim Magnam Græciam, hodie *Calabriam* appellant, fortibus viris, optimisque Reip. institutis quondam florentem. Parens Thomas ad centesimum & quintum ætatis annū vixit: *Gulielmus* & ipse valido robustoque ad lucubrandum fuit corpore, missus primū Neapolim, ubi Græcis doctorib. operam dedit: post Romam, ad exquisitiorem ingenij cultum. Praeceptores doctrinā breui superauit; utraque lingua ad miraculum usque, post etiam sancta, instructus. Mathematicas his disciplinas adiunxit. Mox philosophiæ, ac Theologiæ orbem è fontibus Græcisque scriptoribus tam audiebat, ut parem ea ætas non viderit. Et tametsi spirans quædam bibliotheca esset (quod Dionysio Longino Eunapius tribuit) tamen librorum veterum, Græcorum præsertim, copiam maximam collegit, quam Ascanius Columna Card. ampliss. hodie possidet, præfecitque Pompeium Hungonum, Latinæ eloquentiæ Romæ doctorem. Vaticanam Pontificis bibliothecam dum præcesset, mirificè auxit: nihil tamen Socratis exemplo edere voluit: (præter variantes in Bibliis Regiis lectiones) siue modestiæ, siue metus ne reprehenderetur, gratia; non ignavia, aut inuidia posteritatis adductus. Liberalitas in omnes, præsertim egenos, omnem ut dicendi vim, sic fidem exsuperat; nihil ut moriens reliqui fecerit, sed æs ingens alienum eo nomine conflauerit: imitatus beneficentia sanctissimos viros, Laurentium Leuitam, Martinum item, Nicolaum & Ioannem Eleemosynarium Episcopos. Reliquas illius Virtutes funebri oratione Ioannes Vaz Motta Lusitanus est persecutus. Sepulcrum illius visitatur in templo, cui præcerat, S. Laurentij in pane & perna, vulgo *Panisperna*, cum hac θηριαφη:

GVLIELMO SIRLETO CARDINALI, STILI IN CALABRIA NATO, HVIVS ECCLESIAE PRESB. S. SEDIS APOST. BIBLIOTHECARIO. HEBRAICÆ, GRÆCÆ, LATINÆQ. LINGVÆ PERITISSIMO, HYMANARVM DIVINARVMQ. DISCIPLINAR. SCIENTIA CLARO, ERUDITORVM ET PAUPERVM PATRONO AC PARENTI BENEFICENTISS. OB PROBITATEM EIVS PIETATEMQ. SINGVLAREM APIO IIII. PONT. MAX. SACRO INSTANTE COLLEGIO CARDINALI CREATO.

VIXIT ANN. LXXI. OBIIT ANN. CI. ID. LXXXV.



8
GVLIELMVS SIRLETVS S.R.E. CARDIN.
SEDIS APOSTOLICÆ BIBLIOTHECARIVS.

*Laudaris, SIRLETE, in egenos prodigus æris:
Qua Virtute rubra est parta tiara tibi.
Attica dum calles ut non præstantior alter,
Incertum, fueris doctior, an melior.*

B ,

IACOBVS SADOLETVS

DOMO MVTINA. CARPENTORACTENS. IN GALLIA EPISC.
A LEONE X. P. M. POST PRESB. CARD. TIT. S. CALISTI,
MOX S. PETRI AD VINC. IN ESQVILIIS A PAVLO III.
CREATVS XI. KAL. IAN. ANN. CIC. ID. XXXVI.

ORATOR prudens, & Philosophus, Episcopatum annos plurimos in Gallia, non ingenio solum scribendi facultate, sed industria etiam & fide summa administravit. Magna purpuratorum Patrum, hominumque latitia & gratulatione in collegium est adoptatus: nec a lucubrando cessauit: scriptisque sacra plurima. In Epistolam D. Pauli ad Romanos; in Psalmos aliquot; variasq; Homilias: & orationes de bello Hungarico; & de suscipiendo bello aduersus Turcas. In Philologia verò ut erat inter doctissimos idem eloquentissimus, Epistolarum libros xvi. De libris instituendis: &, De laudibus Philosophia. ut Hortensij M. Tullij iacturam constantius feramus. Poëmata item exstant duo: Curtius, & Laocoon. Vitam eius accurate Ant. Florebellus descripsit. Obiit Romæ septuagenarius. Fratrum filij hoc illi cenotaphium in æde S. Petri ad Vincula, quæ curationis eius fuerat, fecerunt.

D. O. M. S.

IACOBO SADOLETO EPISCOPO CARPENTORACTIS
S. R. E. PRESB. CARD. VIRO MORVM GRAVITATE,
PRVDENTIA ET VITÆ INTEGRITATE PRÆSTANTIS-
SIMO, DOCTRINA ET ELOQVENTIA CVM IIS QVOS
MIRATA EST ANTIQVITAS COMPARANDO:
PAVLVS SADOLETVS EPISC. CARPENTORACTIS,
ET CAMILLVS SADOLETVS FRAIRVM FILII
MOESTISSIMI MVLTVIS CVM LACRYMIS
PATRVO B. M. PRO TEMPORE
POSVERVNT.

VIXIT ANNOS LXX. M. III. D. VI.



JACOBVS SADOLETVS, CARDINALIS.

Ut Plato facundâ decoravit dogmata lingua,
De prisca Sophie dogmata sumpta sinu:
Eloquij sic tu decorasti flumine blando,
De sacro CHRISTI dogmata sumpta sinu.

GASPAR CONTARENVS

PAtricij Ordinis VENETVS, insigni memoria, illustriqué doctrina mirabilis, Reip. Venetæ grauis ac prudens SENATOR, ob eximiam virtutem, maximarum legationum perfunctus muneribus, à PAVLO III. Pont. Max. in Senatum Ecclesiæ Romanae lectus, purpuraque ac galero ornatus Titulo S. Praxedis, anno C I O. 10. XXXV. Ab eodem ad comitia Imperij Ratispon. in Germaniam missus Orator; Doctissimus ipse, & doctorum alter Mæcenas. Cuius & in Philosophia DE ELEMENTIS, animorūmque immortalitate : in Mathematicis varia : in Historia DE REPVB. VENETORVM : in sacra Theologia, DE SEPTEM ECCLESIAE SACRAMENTIS : De optimi quoque Antistitis officio, aliaque exstant egregie scripta volumina. Legatus tandem BONONIAE creatus : neque ita multo pòst ardenti febre correptus, nondum sexagenarius vita decessit, in æde Diui Proculi sepultus.

ANN. C I O. 10. XLII.

Elogium illi Paulus Iouius reliquit, vitam descripsit perdisertè Ioan. Caſa; hic Beneuentanus, Nucerinus ille Episcopus. Ianus verò Vitalis hoc carmen Manibus dedicauit :

CONTARENE tibi Pietas dum dia parentat,
Et queritur longo amissum RESPUBLICA luctu,
Ite, ait, illustres animæ, vitalia secla
Heroum, & vestro athletæ exornate sepulcrum
Floribus. hic veris docuit rationibus esse

IMMORTALEM ANIMAM, summa de Mente creatam.

Nemo sacerdotum aequalium illo Christiana pierate (peccati) & uno atque illorū doctrina : nam dementie gen' tollit, morbi curat, invenit remedium, & literariorū Grecorum & Latinarum exaltat, & invenerit hos pes rati. Comenitatioz de fid. i Christiana articulis quatuor, & capitulo pœnium multis in vibrationibus in omni doctrina sumere tamquam i primit. vero filionem a californis Ge. Trisezund. titulata, & auctorels a discenda & Xenophonis quadam in Latinum sermonem & Greco conuersum.

Optime de Repub. merito

egatur ex Galli predicens, morbo correptis, Ratiens & Waris publico rati anno gratias LXXV. Eborach laudatione B. S. Platinus, non multa, quod

Anno regni Temp. Urbis C. et. CC. C. L.

Quo Hercynia Germania filia astu flagravit.



GASPAR CONTARENVS VENETVS CARD.

*Lectus es in Venetum, Romanum deinde Senatum,
Firmior ingenio qui stat vterque tuo;
At nunc cœlesti fulges trabeatus in ostro,
Sceptra Magistratus æthereiq; geris.*

C

PETRVS BEMBV

PATRICIVS VENETVS, NATVS ANN. C10. CCCC. LXX.
EX EPISC. BERGOM. IN CARDIN. NVMERVM PETENTIE.
VENETIS TIT. S. CHRYSOGONI, MOX S. CLEMENTIS A
PAVLO III. ANN. C10. ID. XXXIX. ADLECTVS, ORATOR
DISERTISS. ROMÆ SEPVLTVS IN ÆDE B. MARIAE SV-
PRA MINERVAM.

Ad familiæ splendorem, accessit & doctrina singularis & facundia summa, vitæq; integritas. Ciceronianæ eloquentiæ cum Sadoleto, & Polo Cardinalibus, maximè verò Christoph. Longolio adiutante, sedulus admirator & imitator exstitit: Orator, Poëta, & Historicus summus, & antiquis comparandus. Testantur id ingenij monumēta, quæ reliquæ: *Historia Veneta libri x i i. Epistolarum familiarium libri v i.* & *Leonis x. nomine scriptarum libri x v i. De imitatione M. Tully, contra Io. Franc. Picū. De Aetna, de Culice Virgiliū; fabulisq; Terentij. Poëmata item, Benacus, aliaque inter Etruscos poëtas: qua lingua etiam excelluit, scriptisque Observations. Septuagesimum septimum ætatis annum attigit; hinc fatis concessit an. c i o. i o. x l v i. Nos Romæ ad B. Mariæ supra Mineruam, post aram summam, inter Leonis decimi, cui à Secretis fuit, & Clementis vii. monumēta hoc Epitaphiū è sarcophago descripsimus.*

P E T R O B E M B O P A T R I C I O
V E N E T O O B E I V S S I N G V L A R E S
V I R T U T E S A P A V L O III. P O N T . M A X .
I N S A C R V M C O L L E G I V M C O O P T A T O
T O R Q V A T V S B E M B V S P.
O B I I T X V . K A L . F E B R . C I O . I O . X L V I .
V I X I T A N N . L X X V I . M . V I I . D . X X V I I I .

Luxere mortem poëta certatim omnes; quos Matthæus Toscanus collegit. Viram verò disertissimè Io. Casa scriptam reliquit. Legitur & hoc carmen alibi tumulo inscriptum:

O T v s c æ , ô Latia Muse decus, optime Vates,
Et Veneræ scriptor nobilis historia, humanitate præfuit.
Flens tibi purpureos flores, spargitq; recentem
Adriacum pelagus, Tybrus, & Arnus aquam.
Et Nymphae inscribunt tumulo hoc miserabile carmen.

MORS RAPUIT BEMBVM DELICIAS HOMINVM.



PETRVS BEMBV^S. VENETVS.

Bembe decus clarum Ansoniae te Roma disertum est
Mirata antiquis eximisque parem:
Diuitias patriæ tu auxisti & munera linguae
Vt sit iam priscis non minor eloquijs.

C 2

POMPEIVS COLVMNA

DOMO ROMA. EX ILLVSTRI FAMILIA, EPISC. REATI-
NVS, S. R. E. PRESB. CARD. BASILICÆ SS.XII. APOST.
A LEONE X. ANN. CIO. IO. XVII. CREATVS, VIR MILI-
TARIS, ET CVM CÆSARIANIS DVCE BVRBONIO RO-
MANÆ CLADIS SPECTATOR, ADFVIT. A.N.CIO. IO.XXVII,

AM B I G V A M sui nominis famam laudemque reliquisse P O M P E I-
v s Cardinalis videri potest, quum miro ingenio diuersissimi mu-
neris partes aptissimè impleret: atque in sacra purpura mitratus; & mili-
tari in fago galcatus, non periti modò, sed affectati etiam sacerdotis ante
aras, & in castris prudentissimi, & strenui Ducis officia exequeretur.
Nam ad vtrumque munus, cùm per amplum excelsi corporis habitum,
tum grauis pariter & periocundi oris gestum, & facundiam illustrem,
quò oporteret, decentissimè transferrebat. Vir etiam ingentis animi, effi-
cacissimæque virtutis atque industria, non P O M P E I I tantum nomi-
nis, sed M A G N I item cognomento dignus existimari poterat. Exequiis
intermortuæ patriæ, & capti Pontificis Clementis v i i. Tragœdiae inter-
fuit. Verùm secus atque optabat maturo fato cedens Clementem bien-
nio anteiuit, cùm apud Neapolim regno administrando Præfectus à
Cæsare Carolo, post comedas fucus biferas, quas multa niue refrigerarat,
in complexu Augustini Niphi Suessani, clarissimi Philosophi & Medici,
integris sensibus exspirasset, anno ætatis quinquagesimo tertio, cùm Ca-
rolus comparatis ingentibus copiis Solimanno in Pannoniam redeunti,
ad Viennam occurrisset, anno salutis 80. IO. XXIX.

Cuius Cæsar is singularem gratiam quibus artibus promeruerit, &
quibus de caussis ab amicitia Clementis Pont. discesserit, diffusè persci-
ptum est à Paulo Iouio Episc. Nucerino eo libro quo P O M P E I I huius
vitam ad posteros transmisit; Elogiorum item militarium libro sexto.



POMPEIVS COLUMNA ROMAN. CARDIN.

Magnus eras bello iam Cæsaris arma secutus;
Infelix spectans at patriæ excidium.
Martia ROMA alijs præda est: tu firma COLUMNA,
Reque tuos ciueis, consilioque iuuans.

IOANNES FISCHERVS

ROFFENSIS EPISCOPATVS ANNO XXXIV. AB HENRICO VIII.
ANGL. REGE IN VINCULA, UT ALTER BAPTISTA, CONIECTVS,
QVOD CVM TH. MORO CANCELL. NEFARIO DIVORTIO SVBSCRIBERE
NOLEET S. R. E. CARD. PRESB. S. VITALIS A PAVLO III.
P. M. RENVNCIATVS, SECVRI GENTIS MORE PERCVSSVS MARTYR.
OBIIT ANN. oo. IO. XXXV. D. X. KAL. IULIAS.

Paulus Iouius in ELOGIIS doctorum virorum.

SVMMMA immanitate, ante paucos dies quam THOMAS MORVS obtruncaretur, eadem Henrici octauia rabies, Britanniae lumen extinxit IO. FISCHERVM, Antistitem Roffensem; animi pietate, candore, constatia, priscis illis atque sanctissimis Christiani ordinis Patribus comparandum. Is cū summa laude eruditio[n]is, & probitatis auctoritate clarissimus spectaretur, vel atrocissimi supplicij metu expugnari nō potuit, vt Regi ex impudenti repudio inauspicatas nuptias affectanti volens pareret. Putabat enim Regem, paulo antē admirabili Virtutum omnium concentu, & rarissimis naturae atque fortunae munereb[us] præstantem, atræbilis morbo correptum insaniisse, quod iratus Romani Pontificis sententia, qua fuerat ex diuini iuris formula damnatus, Pontificij imperij patrimonium inuasisset. Non subscrisit ergo nefario rebellantis Regis votu, vir egregie pius, integreque securus. Ideoque in carcerem ductus est, vt vitæ periculo, in longo cruciatu, imbecilli senis constatia frangeretur. Id celebre factum ita ROFFENSI paravit laudem, vt Henrico inuidiam cumularit: vt cum Paulus 111. ad exornandam Virtutem natus, collato sacræ purpuræ honore legerit in Senatum. Sensit illico exprobrati odij vulnus Rex superbis, & impius, sanctissimoque viro modestè ea dignitatis fama permoto, caput in foro præcidit, ne merita purpura ornaret. Ferunt id caput lanceæ præfixum, vt ludibrio, terrorique ceteris foret, publicis lacrymis laudatum & adoratum.

Reliquit ingenij monumenta: eruditum volumen, quo Lutheri opiniones grauissimè confutarat: itemque alios utiles libros, quibus *sacri Sacerdotij* auctoritatē defendit, & de Veritate corporis & sanguinis CHRISti in Eucharistia libros quinque, aduersus Oecolampodium. Sed is sibi admodum exitialis fuit, quo Catharinæ Reginæ coniugiū tuetur. Exstat etiam religiose meditationis explicatio in septem Davidicos Psalmos. Reliqua in carcere purgatissimè scripta, quod damnatae causæ nomen iugularet, Tyrannus aboleuit. Plura de Ioan. Fischeri morte qui volet, Laurentium Surium legat Commentario rerum in orbe gestarum ad annum 1535. Nicolaum Sanderum lib. 1. de Schismate Anglicano, & Georgium Liliu[m], De claris Britannis, post P. Iouij Elogia.



IOHANNES FISCHERV^S EPISCOPVS ROFFE^SIS, ĀGLVS.

Moribus, ingenio, calamo, sermone Britannus

Miraudus prisca pro pietate cadit.

Cum cecidit, ferro hæc ceruix præcisa cruento,

Virtus, ingenium, concidit & pietas.

REGINALDV S POLVS

BRITANNVS S. R. E. PRESB. CARD. SS. NEREI ET A-
CHILEI POST S. MARIAE IN COSMEDIN A PAVLO I. I.
P. M. XI. KAL. IVN. CREATVS ANN. CIC. IO. XXXVI.
ANGLIAM PONTIFICIS LEGATVS APOSTOLICÆ SEDI
RESTITVIT. OBIIT ANN. EIUS SÆCVLI LVIII.

POLVS, regia stirpe oriundus, matre Margareta, quæ Mariam, Angliæ post Reginam, educauerat: natus anno sacerdotali, quo & Carolus Cæsar CIC. IO. Puer Thomæ Linacro & Gul. Lætimero operam dedit. Aetatis xix. Patauium profectus, Ciceronē potissimum admiratus exprimebat feliciter; doctisque hominibus est vsus; in his Christoph. Longolio Belga, disertissimo oratore: qui etiam domi illius vita excessit; quam & Polus adolescens conscripsit. Anno sacerdotali sacro xxv. Romam religionis ergo concessit. Inde domum reuertit; cum turbatam patriam, Henrici V 111. nefando diuortio, comperit; qui Catherinam vxorem cōtra ius repudiabat. Po l v s regem frustra hortatus, furente illo in Italiā fugit. Paraui Venetias abiit. Hic Alloysius Priulus, è gente patricia, ita Po l o se adiunxit, ut ad extreum usque spiritum, nulla mercedis spe proposita, Cardinali adhæserit: raro, & nostro sacerdotali inusitato fidelis Amicitiae exemplo. Rex vero libidine ardens, & ira, non ab uxore solū, sed & à Catholicæ Ecclesiæ, quam scriptis antea defenderat, gremio desciuit, sc̄que caput Anglicanæ Ecclesiæ contra fas appellare ausus est. Hinc illæ lacrymæ. Percussa sunt securi sanctissima insulæ lumina, Io. Fischerus, & Tho. Morus. Paulus 111. repugnante Po l v m Romæ Cardinalem creat, qui & legationes multas pro Sede Apostolica obiuit. Iulio rursum tertio successit Paulus 1111. qui & Cantuariensem Archiepisc. renunciauit. Victisq; ac pulsis rebellibus, Anglia restituta, fides maiorum reuocata, & disciplina morum. Maria regina, quæ iam annū Philippo regi Catholico nupserat, aqua intercute è moerore laborans, in febriculam incidit; in quartanam duplē P o l v s: & eodem uterque die xxv. Nouemb. (qui dies Angliæ, omniq; adeò orbis Christiano tristis illuxit) in beatorū regiā commigravit, corporis vinculis, vitæque miseriis solutus: anno aetatis & C H R I S T I L V I I I . supra millesimū, & quingentesimum. Statura fuit mediocri, corpore exili & macro; colore candido, admisto rubore, ut ferè sunt Angli. Facie paulo latiore, oculis latis, humanitatē præferentibus. Barba iuueni fuit colore flauo. Plura leges ab And. Duditio Episc. in vita Po l i Card. exposita. Exstant ingenij monumenta, cetera enim interciderunt, pro Ecclesiasticæ unitatis defensione libri iv. ad Henricū V 111. De summo Pontifice C H R I S T I in terris vicario, eiusque officio ac potestate, Dialogus. De Cōcilio liber, & item alter De Anglię reformatione. Christoph. Longolii vita, & Epistolæ v. in Epistolis clarorum virorum.

*Absoluus geniem vinculus, ô POLE, Britannam,
Consul ab exilio, Praeful ab exitio.*



REGINALDV POLVS BRITANNVS CARD.

*Tu quoque, POLE, decus patriæ, vindexq; Britanniae,
Quem genitrix, frater, morte óbita decorant.
MORVS item, atq; œui FISCHERV flos, et ocellus:
Quos et transcripsit mors violenta polo.*

D

STANISLAVS HOSIVS

POLONVS A PIO IIII. PONT. MAX. S. R. E. PRESB. CARD.
TIT. S. MARIÆ TRANSTIBER. CREATVS:

Quo in templo EPITAPHIVM eius, marmori nigro litteris aureis insculptum, descripsimus, breui Elogio laudes perstringens: quas vel inspectis vitiissimis ingenij monumentis, Coloniæ Agrippinæ anno M. D. XXCIV. postremum editis, (quibus Ecclesiæ Catholice, matris nostræ causam propugnauit) cognoscere licet, aut lectis libris tribus de vita illius, disertè à Stanislao Rescio, Protonot. Apostolico, & familiari Hosij conscriptis, ad posteritatemque transmissis, pius Lettor admirabitur, dicetque fortasse admirabundus, tales viros vix singulos singulas ætates ferre; dignumque eò mundum non fuisse, ut magna est passim vitiorum, errorumque, proh dolor, seges in agro Domini enata.

D. O. M.

STANISLAO HOSIO POLONO S. R. E.
PRESB. CARD. VARMIENSI EPISC. MAIORI
POENITENTIARIO VITÆ SANCTITATE
ERUDITIONIS ET ELOQUENTIA
GLORIA CELEBERR.

CATHOLICÆ FIDEI ACERR. PROPVGNATORI
QUI CVM ANTIQVÆ PROBITATIS
ET EPISC. VIGILANTIÆ PRÆSTANTIAM
IN HUMILITATE, CARITATE,
CASTITATE, BENEFICIENTIA
EXPRESSISSET
HÆRET. SECTAS SCRIPTIS ET CONSILIIS
SAPIENTIIS. FERVERENTER OPPVGNASSET,
MVLTOS AB ERRORIB. REVOCASSET
GRAVISS. Q. LEGATIONIB. PRO PACE
ECCLESIAE DEI

CVM APVD CAROLVM V. ET FERDIN. CÆSS:
TVM PRÆCIPVE IN S. CONCIL. TRIDENT.
PII IV. PONT. NOMINE FELICISS. PERFVNCTVS
CHRIST. REIPVB. PLVRIMVM PROFVISSET
OMNIUM VIRTUTVM LAUDIB. ET EXEMPLIS
AD IMITANDVM ABVNDANS
OBDOORMIVIT IN DOMINO NONIS AVG.
ANNO SALVTIS M. D. LXXIX.

ÆTATIS SVÆ LXVI.
STANISLAVS PATRVO, ET STANISL.
RESCIVS PATRONO BENEFICEN-
TISS. EXECVT. TESTAM. POSS.



STANISLAUS HOSIVS CARDINALIS EPISCOPVS
VARMIENSIS CONC. TRIDET. PRÆSES

Instructus patria, pugnat, pietate, geritq;
Prælia cum monstrib; Hosius, & superat.
Artibus hic cunctis dexterimus, omnibus armis,
Quies valet hostis atrox, Hosius exuperat.

D 2

CAROLVS BORROMÆVS

MEDIOLAN. ARCHIEPISC. ET PRESB. CARD. TIT. S.
PRAXEDIS, A PIO IIII. AVVNCVLO ÆTAT. XXII. CREA-
TVS, SINGVLARI VITÆ INNOCENTIA ET SANCTITATE
ECCLESIAM SIBI CREDITAM REXIT. DECESSIT ANN.
CHRISTI CIO. ID. XXCV. ÆTATIS XLVII.

Quo te flagitio, BORROMÆ, tacitum præteream? cuius ego vul-
tum quoties vel depictum, vel sculptum intueor, emoriar, nisi frons
ipsa sanctimoniam ostendere, animique tranquillitatem, mēte nimirum
bene sibi conscientia, præ se ferre videatur: quam quidem Virtutem, à Græcis
euθυμίαν appellatam, Seneca, Plutarchus, ceterique Philosophi quaesie-
runt; docuit verò C H R I S T V S, auctor ipse, & largitor; possidet nūc Re-
ligio Christiana. Tu, tu, gregem tibi à Pontificia fede commissum apud
Insubris Mediolani, non lana tonsa deglabere, sed D E I verbo pascere
bonus pastor, non mercenarius, solebas. Tu pauperum parens, tu impro-
borum terror, & luporum, hoc est, hæreticorum scopulus exstitisti. Tu
collapsos mores correxisti, Ecclesiæ disciplinam pristinam reuocasti: vin-
dex denique Ecclesiasticæ libertatis fuisti: eo quidem felicior, quod abs
te educatum fratris filium B O R R O M Æ V M alterum, tuis vestigiis ho-
dieque ad amissim insistentem, in eodemque & dignitatis, & Ecclesiæ
administrandæ gradu reliqueris: in quo renatus ipse, qui mori non debe-
bas, appareas. Vbi nunc sunt igitur, qui sæculum hoc effœtum, bonisque
ac sanctis viris carens falsò iactant? Et dubitabimus adhuc admiranda
interdum, Ecclesiæ commodo, qualia abs te gesta meminimus, patrari?
Ut verum esse illud Nysseni Gregorij deprehendas, D E V M iam inde ab
eluitione Noë singulares viros singulis ætatibus, ceterorum piorum ho-
minum duces & antesignanos extulisse. Sed de CAROLI BORRO-
MÆ vita, rebusque piè ac fortiter gestis, vel me tacente, perpetuò lo-
quentur Historiæ: quas & AUGUSTINUS Card. Veronensis nostra memo-
ria, piè, venusteque, ut & de *Rhetorica sacra conscripsit*; uberiorius verò li-
bris quinque Carolus à Basilica Petri eius alumnus: quos legat sacris
initiatus, si cognoscere volet (velle autem qui quis debet) perfecti exem-
plar Episcopi ac Sacerdotis.



CAROLVS BORROMÆVS S.R.E. CARDIN.
ARCHIEPISC. MEDIOLAN.

Stemmate clarus erat, pius at, rigidusque satelles
Ius Titiae; haud recto flexit auaritia.
In se durus item nimium, nimiumque severus:
Dicitus ut ante obitum Sanctus, et acta probant.

D 3

ADRIANVS VI. PONT. MAX. CCXXII.

VLTRAIECTINVS BELGA.

Vtraiectinus, inquam, non Traiectensis, ut plerique Italici Scriptores præposteriorè appellant. Ante Pontificarum, Adrianus Florentij, parentis nomine, gentis Batavæ more, cognominatus: ob singularem doctrinam quæ æqualibus longè antecelluit, & pietaten, ex humili loco sic emersit, ut Academia Louaniensis in Grudis, Decanus & Cancellarius sit creatus. Is Carolo Quinto septuaginta adhuc præceptor datus à Maximiliano I. Austræ Imp. post Confiliarius eiusdem, cum summò imperio in Hispaniam, administrandæ provinciæ gratia, misus, ibidem Episcopus & CARDINALIS Dertusanus à Leone x. P. M. Cæsaris commendatione creatus est. Post nec opinatio & absens, ratio & inusitato exemplo, PONTIFEX MAXIMS, Leone vita functo, unde quadraginta Patrum purparatorum suffragis renunciarus, claustrum Ecclesiæ renuit, rex itque annum i. menses VII. dies VI. Rhodos Insula infeliciter eo Pontifice, à Solimanno Turcarum tyranno occupata est. Domus eius Louaniæ in augustissimum Theologorum Collegium, Pontificium hinc dictum, verit, floretque ingeniosis & aluminis: ex quo, tamquam ex equo Troiano, insignes & Theologi, & Episcopi exsisterunt. Nunc ad ingenij monumenta veniamus, quod in Bibliothecis, nuper in Germânia editis, ea desiderentur. Scripti priuatus Louaniæ anno quindecimo supra c. 10. & 10. Quæstiones Quodlibeticas xii. In sequenti vero anno in librum IIII. Magistri Sententiarum Quæstiones, Louaniæ, Romæ, Lutetiae, & Lugduni excusas. Edidit & Cardinalis Dertusanus, Computum hominis agonizantis, ad Adriani Holcryghen, Quæstorem Louaniensem; & de sacculo pertuso, seu de Superbia Sermonem, qui ex Alardi Antwerpiani exemplari prodiit Antuerpiæ, anno c. 10. i. 20. Tertio post anno Regulas Cancellarie eiusdem Papæ euulgavit Antuerpiæ, Mich. Hillenius. Breue item Apostolicum Pontifex promulgavit ad Fredericum Saxonæ Ducem, exstatique Tomo IV. Conciliorum. Epistola quoque ad Germania Princes, quæ ad concordiam hortatur, bellumque Turcis inferendum, legitur cum Concilio Basilensi Aeneæ Sylvij. Sic magna Ecclesiæ Catholicæ commoda animo agitantem, ut depravatiorum morum, Opinionumque correctionem, & Principum concordiam, Deus o. m. quod eo indignus orbis esset, humanis rebus exemir, altero Pontificatus anno; etatis LXXV. salutis vero humanæ c. 10. i. 20. XXII. ex A. D. XVIII. Kal. Octob. Eius corpus ad S. Mariam animæ, Germanorum nobili marmore tumulo Gulielmi Enckevertij (quem paulo ante obitum Cardinalem creaverat) sumptu conditum: hodieque spectatur & exaduerso superbum Mausoleum marmoreum, ingentis pretij, Caroli, Principis Cliviae: qui anno seculari sacro c. 10. i. 20. LXXV. Romam religionis ergo profectus, fessus, fractusque de via, in palatio Gregorij XIIII. P. M. vitam cum morte, vel retro potius, commutauit. Adriani vero Pont. vitam breuius scriptit Onuphrius Panuinius Veronensis, ad Platianam: diffusius vero Gerardus Moringus, Theologus, & Paulus Iouius Novocomensis, Nicerinus Epic. Iter vero ex Hispania Romanum versus, Didacus Stunica. Elogium vero sepulcro inscriptum apponam,

HADRIANVS VI. PONT. MAX. VLTRAIECTO INSIGNI
INFERIORIS GERMANIAE VRBE: QVI DVM RERVM HUMANARVM
MAXIME AVERSATVR SPLENDOREM, VLTRÆ A PROCRIB. OB IN-
COMPARABILEM SACRARVM DISCIPLINARVM SCIENTIAM, AC
PROPE DIVINAM CASTISSIMI ANIMI MODERATIONEM, CARO-
LI V. CÆSARIS AVGUSTI PRAECEPTOR, ECCLÆ DERTVSEN-
SIS ANTISTES, SACRI SENATVS PATRIBVS COLLEGA, HISPA-
NIARVM REGNI PRAESES, REIPVB. DENIQUE CHRISTIANAE DI-
VINITVS PONTIFEX ABSENS ADSCITVS.

VIXIT ANNOS LXIII. MENSES VI. DIES XIII. DECESSIT XVIII.
KAL. OCTOBR. ANNO A PARTV VIRGINIS M. D. XXIII. PONTI-
FICATVS SVI ANNO SECUNDО. WILLEMVS ENCKEVORT, ILLIVS
BENIGNITATE ET AVSPICIIS, T. S. IOANNIS ET PAULI
PRESBYTER CARDINALIS DERTVSENSIS, F. A. C. GVR.



HADRIANVS TRAJECTENSIS PONT. MAX.

Regnat ubi in terris prudens vir, constat & almae
Virtuti in terris, quod meret ipsa, decus.
Dat mihi & hæc teneros formandi Cæsar's annos.
Orbis Pontificem & me facit hæc eadem.

Hec XII. Illustrissimorum ac Reuerendissimorum Car-
dinalium Elogia, simul cum eorumdem Imaginibus, cum
Subiuncta Vita sanctissimi Domini Adriani VI. Pontif.
Max. quæ exempla continent multarum & irtutum, ut iliter
imprimi posse iudico. Datum Antuerpia III. Non. Ja-
nuarij, Anno M. D. XC VIII.

Silvester Pardo, S. Theol. Licentiatus, Cathedr. Ec-
clesiar. Ant. Canonicus, Librorumque Censor.

UVA. BHSC. IyR_345

UVA. BHSC. IyR 345



UVA. BHSC. lyR_345

de Sant

P 3

UVR.

BHSC.

IVR 345